



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xxvi [i.e. xiii]. Causa earum finalis est sensatio, materialis medium & organu[m], efficiens objectum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

bet aëris parte totum videtur objectum; hujus enim ratio est, quòd quælibet objecti pars producat sui speciem in qualibet aëris parte, sive radiet in quamvis mediæ partem, ad quam potest duci linea recta, adeoque in singulis punctis penetrentur omnium partium objecti species. Et sic, dum intueor gramina prati, erunt plures species solo numero distinctæ, nihilominus officio & habitudine diversæ; singulæ enim tantum suum repræsentant objectum, & ad illud tantum dicunt habitudinem.

XIII. Causa specierum sensuum externorum finalis est sensatio; Causa materialis sive subjectum inhætionis earum aliud dicitur terminans, & est pupilla v. g. oculi, aliud deferens, & est medium, per quod diffunduntur. Ex utroque educuntur ab objecto agente uniformiter difformiter, ita ut in aëre sibi viciniore producat intensiores, in remotiore remissiores, decrescitque paulatim vis ejus activa, donec tandem extra spheram activitatis nihil possit. Et quia hæc causa, à qua dependent in conservari, perire potest aut amoveri, ipsæ ex natura sua sunt corruptibiles. Unde, dum quis intuitus

can-

cancellos luce perfusos, clausis dein oculis videtur sibi videre adhuc aliquod lumen, non sunt hæ perseverantes luminis species, sed totum id phantasiæ, in qua ejusdem perseverant species, est adscribendum.

XIV. VISVS organū est oculus, cujus pars extrema ambiens connectensquē illum capiti, dicitur *tunica adnata*, & ob colorem alba, seu album oculi; in hujus medio sequitur *tunica cornea*; post hanc *tunica uvea*, intus nigra ad lumen externum temperandum, exterius coloris varii, in anteriore parte rotundo pertusa est foramine ad intromittendas species in humorem crystallinum: & inter hanc & præcedentem humor continetur aqueus. Huic subest *tunica reticularis* subtilissimis intexta arteriis: post illam est *specularis* seu *aranaea*, tenuissima & densissima, humorem crystallinum ambiens operimentā, post quem humorem est humor vitreus. Nervos duos singuli habent oculi, unus motorius, deserviens motui & nutritioni oculi, proveniens à cerebro, desinens in tenues membranas, quibus album oculi apprehendit: alter sensorius seu opticus deserviens visioni, utpote per quem spiritus animales ad  
visio-